

illi commercia promouerunt; hi agriculturam. c) pax diuturna, in qua colligere spiritus viresque poterat, in bello tricennali misere lacerata, d) perpetua principum ibi residentia; quod ab 1322. factum non fuerat, e) tributum aequissimum genus, accisa.

(4) SALE autem ac VINO opus habet Marchia. Quoniam illo prorsus caret; hoc palato eius minus aridet.

Q. an Soltwedelae quondam salinae fuerint? Olim sal a Luneburgensibus; nunc ab Hallensibus accipiunt. Vitis tamen ferax omnino Marchia, Francofurti praecipue, ubi plurimae vineae reperiuntur. Vites 1170. cum incolis Rhenanis in Marchiam.

(5) INCOLARVM non eadem omni tempore laus, natura, origo. Qui olim Marchiam coluerant: illi ad rixas iurgiaque procliuēs habitī sunt, rerum etiam nouarum admodum studiosi. Sed, tot gentibus ex Rhenanis prouinciis sub Anhaltinis: e Boioaria sub Bauaris Marchionibus: e Franconia denique cum Hohenzolleranis in has regiones commigrantibus, factum est, vt pristinos mores plerique exuerint, literis atque artibus postea egregie exculi.

Praestantium militum hodie quoque famam habent. Inde dicitur: Martialis Marchia. Nobilitatis & urbium quarundam aduersa olim in principes studia; in ordinem post redacta sunt, vt nihil perniciosi porro machinentur.

(6) LEGIBVS fere non scriptis (*) Marchia utitur; Certis tamen vsuque definitis (**).

Scheplizii

(*) Constitutiones Marchiae iuri communi aduersas edidisse electores Brandenburgicos, sine consensu Caesaris, scribunt tumenturque PAVRMEISTER lib. 1. de iurisdic. c. 6. n. 11. PARTHENIVS litigios. lib. 1. c. 2. n. 32.

(**) Quae ubi desiderantur, Marchia Brandenburgica sequitur ius Romanum ciuile (a), quod magnae ibi auctoritatis ab an. 1527. sublato iure Saxonico.

(a) Memorabilem de hoc argumento locum habet SCHRAEDERS part. 2. feud. part. 9. sect. 3. n. 100. p. 539. In illo enim principio enarrat, quod an. 1527. Brandenburgicus elector Ioachimus, omnes consuetudines, iuri Romano aduersas, solenni ordinum prouincialium accedente